

† NECROLOGIA

† R. P. Michaël Addrizza (1861-1944)

(Prov. Sic.)



Michaël Addrizza fuit Arpinas, ut Caius Marius et Marcus Tullius Cicero, in illo Latii sudorientalis municipio natus 28 Oct. 1861. Inde ab infantia magnam demonstrabat devotionem erga augustissimam Dei Genitricem, ac pedes perfecit piam peregrinationem ad Almam Domum Lauretanam. Iuvenis sanus 19 annorum ingressus est in nostram Congregationem, vota nuncupans 19 Mart. 1881, et post 6 annos studiorum superiorum Romae sacerdotio auctus est.

Missus a Superioribus Bussolengum, brevi evasit in tota regione Veneta conationator desideratus ob ardentem suam eloquentiam. Sed vinea a caelesti Patrefamilias speciatim ei commissa fuit Sicilia, ubi per 33 annos fecundum apostolatum exercuit. Hodie multa loca meminere huius missionarii tanto zelo gloriae Dei salutisque animarum inflammati. Etiam in hoc genuinum S. Alfonsi filium se monstrabat,

<sup>4</sup> *Analecta* IX (1930), 310 dant internum pulchrae ecclesiae aspectum. Habet m. 36 longitudinis, m. 10 latitudinis, fere m. 20 altitudinis. Cf. etiam *Agrigentina Sentinella*, 8-V-1947.

<sup>2</sup> Prius altare maius videsis *Analecta* VII (1928), 307. Ibidem p. 306 habes notulas historicas. Statua S. Alfonsi in hoc altari posita ab antiquis Patribus laudatur propter suam cum Archetypo similitudinem.

quod ubique grandi fervore salutarem devotionem erga Matrem iugiter mortalibus succurrentem diffundebat. Multoties exercitia spir. tradidit sacerdotibus et religiosis. Mensem Marianum decies quater in ecclesiis nostris praedicavit. Insuper haud semel gubernavit modo hoc modo illud Siciliae collegium.

Tandem lente haec vita pretiosa declinavit seu ad veram vitam aeternitatis transiit. Per complures annos quasi clavis erat affixus suae sedi. Conservabat tamen semper suam patientiam, et oratione quasi continua sese ad magnum transitum parabat. Meritorum dives eius anima ad superos evolavit 13 Apr. 1944. R. I. P.